


SYNTAXIS LATĪNA Ā PERSONĪS FAMILIAE RŌMĀNAE LATĪNĒ EXPLICĀTA



- DĒ PRŌPOSITIŌNIBVS COORDINĀTĪS.

Prōpositiōnēs coordinātæ eæ sunt quæ coniunctiōne cōpulātīvā, adversātīvā, explicātīvā, disiunctīvā vel illātīvā sive conclusīvā coniunguntur. Prōpositio quæ coordinātur cum aliā novam notitiam fert. Singulæ prōpositiōnēs per sē intelligī possunt sine alterā, cū conexæ sunt coniunctiōne.

1. **cōpulātīvæ**: coniunctiōnēs cōpulātīvæ quibus prōpositiōnēs cōpulantur sunt:

et, -que, atque, ac ... nec = neque

- Mēdus est servus Græcus **et** Iūlius est dominus Rōmānus.
- Mēdus pecūniam Iūlii subripit **et** ā villā dominī fugit.
- Leander **et** Syrus saccōs portant = Leander Syrus**que** saccōs portant.
- Mēdus liber esse vult **atque** in Græciam ire cum amīcā suā Lydiā.
[: Mēdus liber esse vult **et etiam** in Græciam ire cum amīcā suā Lydiā.]
- Mēdus liber esse vult **ac** petere Græciam cum amīcā suā Lydiā.
[: Mēdus liber esse vult **et etiam** in Græciam ire cum amīcā suā Lydiā.]
- Quīntus pedem ægrum habet **nec** ambulāre potest. (XI, 54-55) [: Quīntus pedem ægrum habet **et nōn** potest ambulāre]
- Mārcus: - pater dormit –inquit- **neque** tē audit. [: pater dormit **et** tē **nōn** audit. (III, 42)]
- Puerī Iūliam audiunt, **neque** ī ab Æmiliā discēdunt. [: Puerī Iūliam audiunt, **sed** ī ab Æmiliā **nōn** discēdunt. (V, 56)]

et...et = nōn solum ... sed etiam = nōn modo ... vērū etiam / cum...tum...

Filiī, quī iam **nōn solum** mālā, **sed etiam** pira habent, lētī sunt. (VII, 55,56)

=

Filiī, quī iam **et** mālā, **et** pira habent, lētī sunt.

Mārcus **nōn solum** reprehendit Iūliam, **sed etiam** pulsat eam!

=

Mārcus **cum** reprehendit, **tum** pulsat Iūliam!

Mēdus per viam Latīnam **nōn solum** ambulat **sed etiam** lētus cantat

=

Mēdus per viam Latīnam **cum** ambulat **tum** cantat lētus.

=

Mēdus per viam Latīnam **nōn modo** ambulat **vērū etiam** lētus cantat

cēt...

etiam, quoque..., et...

Mēdus Tūsculum it cum pecūniā dominī. **Et** Iūlius Tūsculum it hōc propositō: servum suum Mēdum quærere.

=

Mēdus Tūsculum it cum pecūniā dominī. Iūlius **quoque** Tūsculum it hōc propositō: servum suum Mēdum quærere.

=

Mēdus Tūsculum it cum pecūniā dominī. *Etiam* Iūlius Tūsculum it hōc propositō: servum suum Mēdum quærere.

2. **adversatīvæ**: **sed**, **vērō**, **vērūm**, **autem** / **at**, **at vērō**, **immo vērō** / **tamen**, **attamen**, **nihilominus**.

littera prīma: **D** , littera secunda: **Δ**

- littera secunda nōn est Latīna, **sed** Græca.

vocābulum prīmum: **νησος** , vocābulum secundum: *īnsula*

- vocābulum prīmum nōn est Latīnum, **sed** Græcum.

- Syria nōn est in Eurōpā, **sed** in Asiā. (I, 6,7) - Germānia nōn in Asiā, **sed** in Eurōpā est. (I, 8,9)

- Britannia nōn īnsula parva, **sed** īnsula magna est. (I, 29,30)

littera prīma: **D** , littera secunda: **Δ**

- littera prīma est Latīna, **sed** littera secunda est Græca.

vocābulum prīmum: **νησος** , vocābulum secundum: *īnsula*

- vocābulum prīmum est Latīnum, **sed** vocābulum secundum Græcum est.

Germānia in imperiō Rōmānō nōn est, **sed** Gallia et Britannia sunt prōvinciæ Rōmānæ. (I, 58,59)

= Germānia in imperiō Rōmānō nōn est. Gallia **vērō** et Britannia sunt prōvinciæ Rōmānæ.

= Germānia in imperiō Rōmānō nōn est. **Vērūm** Gallia et Britannia sunt prōvinciæ Rōmānæ.

= Germānia in imperiō Rōmānō nōn est. Gallia **autem** et Britannia sunt prōvinciæ Rōmānæ.

- Quīntus est puer probus atque industrius **at** Mārcus puer improbus ac piger est.

[: Quīntus est puer probus atque industrius, **sed contrā**, Mārcus puer improbus ac piger est.]

=

- Quīntus est puer probus atque industrius, **at vērō** Mārcus puer improbus ac piger est.

- Mārcus nōn est puer probus atque industrius. **immo vērō** puer improbus ac piger est!

- etiam sī Mārcus irātus est, Iūlia **tamen** læta cantat.

[: Mārcus irātus est. quō **nōn obstante**, Iūlia cantat læta.]

- etiam sī Mārcus irātus est, Iūlia **tamen** læta cantat.

3. **explicatīvæ** (dēmonstratīvæ-causalēs): **nam**, **namque**; **enim**, **etenim**

- Mēdus nōn est apud dominum, **nam** is dominum irātum timet. (VI, 38-39)

- Iūlius sōlus nōn est, **nam** quattuor servī apud eum sunt. (VI, 37-38)

[particula **nam** explicat id quod ēnuntiātur in sententiā prīmāriā.]

- [: Iūlius sōlus nōn est, quattuor **enim** servī apud eum sunt.]

namque = **nam**

etenim = **enim**

- [: Iūlius sōlus nōn est, **namque** servī quattuor apud eum sunt.]

- [: Iūlius sōlus nōn est. **etenim** quattuor servī apud eum sunt.]

- Iūlius: "Certē pater tam inhūmānus sevērē pūniendus est [= pūnīrī debet], **namque** infantēs invalidōs expōnere est mōs antīquus atque crūdēlis. Aliūnunc sunt mōrēs." (XXXI, 134-136)

- Fateor mē lacrimās effūdisse cum oculōs eius clausissem, sed illae lacrimae et militem et amicum decēbant, **etenim** malus amicus fuisset, nisi lacrimās effūdissem super corpus amīcī mortuī. (XXXIII, 161-165)

4. disiunctivae: **aut**, **vel**, **-ve**, **sive**, **seu**.

- hōc ipsō tempore, hāc in regiōne, **aut** diēs est **aut** nox

- Mēdus: "Accipe nummōs nōnāgintā — **aut** nullōs!" (VIII, 108)

- Ūnus annus duodecim mēnsēs **vel** trecentōs sexāgintā quīnque diēs habet. (XVI, 14-15)

= [Ūnus annus duodecim mēnsēs trecentōs **ve** sexāgintā quīnque diēs habet.]

- Mārcus est puer improbus **sive** malus = Mārcus est puer improbus **seu** malus.

- ('Ōstium' **sive** 'ōs' flūminis dicitur is locus quō flumen in mare influit.)

- Gubernātor: "Nōn vērūm est quod dīxit Ovidius. Nam etsi rāra est vēra amicitia ac fidēs, nōn omnēs amīcī sunt falsī seu infidī." (XXXII, 111-113)

5. conclusivae o illativae: **itaque**, **ergō**, **igitur**... **quamobrem**, **idcirco**, **quocirca**...

- Dominus servōs malōs baculō verberat; [conclusio:]

itaque servī malī dominum et baculum eius timent. (VI, 40-42)

- Iūlius ab Ursō et Dāvō portātur, [conclusio:]

itaque is fessus nōn est. (VI, 62-63)

- canis ā pāstōre cibum accipit. **Itaque** canis pāstōrem amat. (IX, 13-14)

- Iūlius: "Ecce oculōs aperit; [conclusio:]

ergō vīvus est." (X, 121)

- Quīntus autem spīrat, **ergō** mortuus nōn est. (XI, 107)

- Litterae Y et Z in vocābulis Grācīs modo reperiuntur (ut in hōc vocābulō zephyrus, id est nōmen ventī quī ab occidente flat). [conclusio:]

Y et Z **igitur** litterae rāræ sunt in linguā Latīnā, in linguā Grācā frequentēs. (XVIII, 11-14)

- "Mīnōs autem filiam virginem habēbat, cui nōmen erat Ariadna. Quæ cum prīmum Thēseum cōspexit, eum amāre cœpit cōstituitque eum servāre. "Ariadna **igitur**, antequam Thēseus labyrinthum intrāvit, ad eum accessit..." (XVIII, 60-64)

- DĒ PRŌPOSITIONIBVS SVBORDINĀTĪS.

A) SENTENTIAE ADIECTIVAE cum **prōnōmine relātīvō**. Tālēs sententiae sive prōpositiōnēs subordinātae sunt **adiectivum** nōminis **antecēdentis**, quod est in prōpositiōne primāriā, quōcum **genere** et **numerō** concordat prōnōmen relātīvum. Verbum habent modō indicātīvō.

I. SENTENTIAE ADIECTIVAE cum **prōnōmine relātīvō**.

Puella, **quae** cantat, laeta est.

Puella, **quam** Mārcus audit, laeta est.

Puella, **cuius** māter est Aemilia, Iūlia est.

Puella, **cui** Iūlius mālum dat, Iūlia est.

Puella, ā quā rosae carpuntur, Iūlia est. (= puella quae rosās carpit est Iūlia)

Puerī, quī Iūliam cantāre audiunt, sunt Mārcus Quīntusque.

Puerī, quōs Iūlia ex hortō vocat, sunt Mārcus Quīntusque.

Puerī, quōrum Iūlia parva soror est, Mārcus Quīntusque sunt.

Puerī, quibus Iūlius māla et pira dat, Mārcus Quīntusque sunt.

Puerī, sine quibus Iūlia in hortō est, Quīntus Mārcusque sunt.

Puerī, quibuscum Iūlia lūdere vult, quaerunt nīdōs in arboribus.

Exercitia:

Complē sentiāas:

Ancillae, _____ sunt apud Aemiliam Iūliamque in peristylō, Dēlia et Syra sunt.

Ancillae, _____ Aemilia iubet in atrium ire Dēlia et Syra sunt.

Syra Dēliaque sunt ancillae, _____ domina est Aemilia.

Ancillae, _____ Iūlius māla et pira dat, sunt Dēlia Syraque.

Ancillae ā _____ Iūlia discēdit ubi in hortum it, sunt Dēlia Syraque.

Puer, _____ in arborem ascendit, Quīntus est.

Puer, _____ in arbore vidēmus, Quīntus est.

Puer, _____ dē arbore cadere vidēmus, Quīntus est.

Puer, _____ soror est Iūlia, Quīntus est.

Puer, _____ pater māla et pira dat, Quīntus est.

Puer sine _____ Mārcus nīdōs avium reperire nōn potest, Quīntus est.

Puer _____ cum Mārcus nīdōs avium quaerit, Quīntus est.

Oppidum, _____ prope villam Iūlii est, Tūsculum est.

Oppidum, _____ vidēmus, Tūsculum est.

Oppidum, in _____ templō vacuō Mēdus est, Tūsculum est.

Oppidum, _____ Tūsculum nōmen est, prope Rōmam est.

Oppidum, in _____ habitat Cornēlius, amīcus Iūlii, Tūsculum est.

II. SENTENTIAE ADIECTIVAE cum adverbio relātivō.

Hortus ubi Iūlia rosās carpit in peristylō est. (=Hortus in quō Iūlia rosās carpit in peristylō est.)

Oppidum unde medicus venit Tūsculum est. (=Oppidum ex quō medicus venit Tūsculum est.)

Locus quō Mēdus it domus Lydiae est. (= Locus in quem Mēdus it domus Lydiae est.)

Via quā Mēdus Rōmam it via Latīna est. (= via, per quam Mēdus Rōmam it, via Latīna est.)

III. SENTENTIAE ADIECTIVAE cum participiō.

Iūlia, rosās in hortō carpens, laeta est.

(: Iūlia, quae rosās carpit, laeta est).

Aemilia videt Iūliam rosās in hortō carpentem laetam esse.

(: Aemilia videt Iūliam, quae rosās carpat, laetam esse).

Mārcus Quīntusque nīdōs in arboribus quaerentēs laetī sunt.

(: Mārcus et Mārcus, quī nīdōs in arboribus quaerant, laetī sunt.)

Iūlia videt puerōs nīdōs in arboribus quaerentēs.

(: Iūlia videt puerōs quī nīdōs in arboribus quaerunt).

Soror puerōrum nīdōs in arboribus quaerentium Iūlia est.
(=Iūlia est soror puerōrum quī nīdōs in arboribus quaerunt.)

III. SENTENTIAE ADIECTIVAE substantivae.

Quī erant in hortō nīdōs avium quaerentēs, ab Iūliā vocātī sunt.
(= *Eī/Iī quī in hortō erant et nīdōs avium quaerebant ab Iūliā vocātī sunt* =
Iūlia vocāvit eōs quī erant in hortō nīdōs avium quaerentēs =
Iūlia vocāvit eōs quī erant in hortō et nīdōs avium quaerēbant)

Quīntus nīdōs avium in arbore quaerit sed, rāmō fractō, cadit in terram.
Mārcus perterritus accurrit ad patrem Iūlium eīque narrat ea quae accidērunt.
Quibus rēbus cognītīs, anxius pater accurrit ad Quīntum...
(= *Et postquam hās rēs cognōvit pater anxius accurrit ad Quīntum*).

Mārcus pulsat parvam puellam et rīdet eam!
Quae quidem rēs nōn iustae, sed iniustae, nōn aequae sed inīquae sunt!
(= *Et hae rēs vērē nōn iustae, sed iniustae, nōn aequae, sed inīquae sunt!*).
Hae enim sunt iniūriae! **Quibus** iniūriīs permōtus, Quīntus irātus improbum
Mārcum pulsat.
(= *Et postquam hīs iniūriīs permōtus est, Quīntus irātus improbum Mārcum pulsat*).

IV. SENTENTIAE ADIECTIVAE sensū adverbiali. Sī habent verbum **modō subiunctivō** possunt indicāre finem, causam, consequentiam...aliaque verbō adiuncta accidentia.

Exempla:

Haec sententia adiectiva finem indicant:

Iūlius medicum arcessit quī sānet Quīntum.
(= Iūlius medicum arcessit hōc fine vel hōc propositō: sānāre Quīntum.)

Haec sententia adiectiva causam indicant:

Iūlia quae rosās amet in hortum it.
(= Iūlia in hortum it quia rosās amat).

Hae sententiae adiectivae indicant consequentiam:

Mārcus nōn est tam fortis quī arborem ascendere audeat.

Quīntus: *pūdeat tē, Mārce!* - ait Quīntus irātus- *Quam improbus es! ego nōn sum similis tuī!*
etenim nōn is sum quī parvam puellam pulsem!

B) SENTENTIAE SVBSTANTIVAE

I. SENTENTIAE SVBSTANTIVAE cum infinitivō. Hae enim sunt objectum verbī ēnuntiātī primāriū, sī quidem est verbum sentiendī, putandī et sciendī, dīcendī, affectūs, voluntātis atque iubendī.

- Mārcus **videt** Iūliam cantāre (: Mārcus **animadvertit** Iūliam cantāre : Mārcus **sentit** Iūliam cantāre...)
- Mārcus **audit** Iūliam cantāre (: Mārcus **animadvertit** Iūliam cantāre : Mārcus **sentit** Iūliam cantāre...)

(N.B.: verba dīcendī:

dīcere aliquid... : **narrāre** aliquid... = **praenuntiāre** aliquid... = **nuntiāre** aliquid... : **affirmāre** aliquid... / **certiōrem facere aliquem** dē aliquā rē... : **rēferre** aliquid... / **assevērāre** aliquid..., et cētera...)

- Quīntus **dīcit** Mārcum pulsāre Iūliam (: Quīntus **narrat** Mārcum pulsāvisse Iūliam (praeteritō tempore activō) : Quīntus **praenuntiat** Mārcum pulsātūrum esse Iūliam (futūrō tempore activō) : Quīntus **nuntiat** Iūliam pulsārī ā Mārcō (tempore praesentī passīvō) : Quīntus **affirmat** Iūliam pulsārī ā Mārcō : Quīntus Aemiliam **certiōrem facit** [= Aemiliae id dīcit. itaque ea nōn iam ignōrat] Iūliam pulsārī ā Mārcō : Quīntus **rēfert** Iūliam pulsātam esse ā Mārcō (praeteritō tempore passīvō) : Quīntus **assevērāt** Iūliam pulsātum irī ā Mārcō (futūrō tempore passīvō)...))

- Quīntus **crēdit** Iūliam bene cantāre
- Mārcus nōn **putat** Iūliam bene cantāre

(N.B.: verba sentiendī, sciendī vel putandī:

crēdere aliquid... : **putāre** aliquid... = **existimāre** aliquid... = **opīnārī** aliquid... : **arbitrārī** aliquid... / **animadvertere** aliquid... : **sentīre** aliquid... / **censēre** aliquid... : **iudicāre** aliquid... / **scīre** aliquid... contrārium: **nescīre** aliquid = **ignōrāre** aliquid)

- Quīntus **scīt** Mārcum pulsāre Iūliam (tempore praesentī activō) - Quīntus **scīt** Mārcum esse puerum improbum!
- Quīntus **scīt** Iūliam ā Mārcō pulsārī (tempore praesentī passīvō)
- Quīntus **nōn ignōrat** Mārcum Iūliam pulsāvisse. (praeteritō tempore activō)
- Quīntus **nōn ignōrat** Iūliam ā Mārcō pulsātam esse (praeteritō tempore passīvō)
- Quīntus **spērat** Aemiliam pūnītūram esse Mārcum. (futūrō tempore activō)
- Quīntus etiam **spērat** Mārcum verberātum irī ab Iūliō. (futūrō tempore passīvō)
- Quīntus **gaudet** Iūliam bene cantāre, sed Mārcus **dolet** (: **aegrē fert** : **molestē fert**) Iūliam cantāre
- Quīntus **vult** Iūliam bene cantāre. Mārcus vērō **nōn vult** Iūliam cantāre. Is igitur **iubet** Iūliam tacēre vel silēre. Quīntus **sinit** ac **permittit** Iūliam cantāre, at vērō Mārcus **vetat** puellam cantāre.

- Quīntus: Mārcus -inquit- puer improbus est!
 - Aemilia: Mārcus -ait- puer improbus est!
 - Iūlius, meus filius Mārcus -inquit- puer improbus est!
- Alii quoque hominēs idem **sentiunt**: Mārcum esse puerum improbum...

(Multī hominēs) **dīcunt** Mārcum esse puerum improbum...

Dīcitur Mārcum esse puerum improbum

Quis dīcitur esse improbus? Mārcus dīcitur esse improbus.

[sententia nominatīvō cum infinitīvō] Sī verbum est dīcendī vel existimandī et vōce passīvā coniugātur, subiectum est cāsū nominatīvō et verbum sententiae substantivae mōdō infinitīvō.

Mārcus enim **dīcitur esse** puer improbus.

Mārcus **dīcitur** / **nuntiātur** / **perhibetur** ... **esse** puer improbus.

Itaque Mārcus **crēditur** / **putatur** / **existimatur** / **habetur** / **traditur** / **censetur esse** puer improbus.

Quae sequuntur sententiae sunt subiectum verbī enuntiātī primārii, sī quidem est verbum impersonāle.

- fāma igitur est Mārcum esse puerum improbum.

(N.B.: fāma est : opīnio est : pār est ...)

- manifestum est Mārcum esse puerum improbum!

(N.B.: apertum est : manifestum est : perspicuum est : appāret : elūcet : constat ...)

- aequum est Mārcum ab Iūliō puniri!

(N.B.: aequum est : iustum est : pār est ...)

- necesse est Mārcum ab Iūliō puniri, hōc fine, hōc propositō: parvam puellam nōn pulsāre!

- opus est Mārcum ab Iūliō puniri, hōc fine, hōc propositō: parvam puellam nōn pulsāre!

- dēdecet Mārcum parvam puellam pulsāre! (= nōn decet Mārcum parvam puellam pulsāre! = honestum nōn est neque iustum neque dignum neque decōrum parvam puellam pulsāre ā puerō.)

- oportet Quintum dēfendere Iūliam.

- decet Quintum dēfendere Iūliam.

- convenit Quintum dēfendere Iūliam.

- ūtile est Quintum adesse, quia hōc modō potest dēfendere parvam puellam.

= expedit Quintum adesse, quia hōc modō potest dēfendere parvam puellam.

= conducit Quintum adesse, quia hōc modō potest dēfendere parvam puellam.

II. SENTENTIAE SVBSTANTIVAE cum particulis et modō subiunctivō.

Aliae sententiae substantivae nōn cum accusatīvo nēve nominatīvō et infinitīvō construuntur sed cum particulis et verbō modō subiunctivō. Quod quidem verbum signīficat vel petitiōnem vel mandātum vel consilium vel etiam voluntātem...

Verba caeruleo colōre scripta requirunt (sī crassiōre litterā sunt) vel solent requirere (sī litterā tenuiōre sunt) particulam ut vel nē (ad negandum) cum verbō secundariō modō subiunctivō. Haec sententia est obiectum verbī primārii.

Ecce textus memoriae mandandus:

Quotiescumque aliquid peto vel impero vel etiam moneo suādeove, statim adipiscor obtineove. hoc enim ago, efficio, contendo, cūro, huic dēnique rei operam do ut sinant aliī ac permittant ut ea, quae volo ac cupio, impetrāre queam.

- Mārcus petit ab Iūliā ut sileat.

- Mārcus postulat ab Iūliā nē cantet.

(N.B.: Postulāre ab aliquō... : petere ab aliquō... = poscere ab aliquō... = poscere aliquem... : flāgitāre aliquem... : rogāre aliquem... : orāre aliquem... : obsecrāre aliquem... : precārī aliquem...)

- Mārcus imperat Iūliae ut sileat.

- Mārcus imperat Iūliae nē cantet.

- Mārcus **volō** –inquit- **ut** Iūlia sileat! = - Mārcus **volō** –ait- Iūlia sileat!
- Mārcus **cupio** –inquit- **nē** Iūlia cantet! = - Mārcus **nōlo** –ait- Iūlia cantet!

(N.B.: **volō** aliquid... : **cupio** aliquid... = **opto** aliquid... = **dēsidero** aliquid...// **nōn volo** = **nōlo** // **magis volo, praefero** = **mālo**)

(N.B.: **Imperāre** aliquid alicuī = **mandāre** aliquid alicuī = **praecipere** aliquid alicuī = **iubēre** aliquem...**Mārcus iubet Iūliam silēre**)

- Quīntus **suādet** Iūliae **ut**, Marcō praesente, sileat. (: - Quīntus **monet** Iūliam **ut** sileat, quoniam Mārcus adest = Quīntus **monet** Iūliam **ut**, cum Mārcus adsit, sileat.)
- Quīntus **suādet** Iūliae **nē**, Marcō praesente, cantet. (: - Quīntus **monet** Iūliam **nē** cantet, cum Mārcus adsit = Quīntus **monet** Iūliam **nē**, cum Mārcus adsit, cantet.)
- Quīntus **hortātur** Iūliam **ut** Mārcum, puerum improbum, accūset = Quīntus **hortātur** Iūliam **nē permittat nēve sinat ut** Mārcus sē, parvam ac probam puellam, pulset.)

(N.B.: **permittere** aliquid = **sinere** aliquid = **ferre id est, patī** aliquid)

- Quīntus, valdē irātus quod (= *quoniam* = *quia*) Mārcus parvam puellam pulsat, mātrem vocat et accūsat eum improbum fratrem. Quīntus enim **operam dat ut** Mārcus verberētur. Quīntus dēnique **efficit nē** Mārcus impūnē discēdat.

(N.B.: **operam dare** = **contendere** = **cūrāre**... // **efficere** = **facere** // **obtinēre** = **adipiscī** = **impetrāre**)

Iūlia **nōn vult ut** Quīntus in arborem ascendat. Iūlia igitur **timet nē** Quīntus in arborem ascendat. Iūlia enim **vult nē** Quīntus in arborem ascendat. **Vult** autem **ut** Quīntus permaneat in terrā. Ergo Iūlia **timet ut** Quīntus permaneat in terrā.

(N.B.: **timēre** = **metuere** = **horrēre**... // **verērī**... // **perīculum est**...)

Mārcus **timet/metuit/horret/horrescit/pavet**... **nē** Iūlia cantet
Mārcus **metuit ut** Iūlia taceat

Mārcus enim **impedire** vult **nē** Iūlia cantet.
Mārcus **obstāre** vult **quominus** Iūlia cantet.

Num Quīntus **impedit quominus** Iūlia cantet?
Num Quīntus **obest quin** Iūlia cantet?

Quīntus **nōn prohibet quominus** Iūlia cantet.
Quīntus **nōn obstat quin** Iūlia cantet.

(N.B.: **impedire** = **prohibēre** = **obstāre**... // **obesse**...)

Quod Iūlia cantat, Aemiliae gaudio est.
Quod Iūlia cantat, Aemiliae gaudio et cordī est.
Quod valēs, Quīnte, –inquit Mārcus–, gaudeo! (=laetus sum, ait Mārcus, quia tū sānus es, Quīnte).

Accidit male, quod Quīntus dē arbore cecidit.
Pergrātum mihi fēcisti, o Iūlia, ait Quīntus, **quod mihi prūdentia cōsilia dēdistī**.

Accidit : **contingit** : **fit** : **evenit** : **ūsū venit** // **abest** (cum adverbio quantitatis), **accēdit**, **efficitur**, **incidit**, **occurrit** // **relinquitur** , **reliquum est**, **restat**, **sequitur**, **superest**; item **futūrum est**, **fieri potest**.

Accidit, **ut** Mārcus Iūliam pulset!

Multum abest ut Mārcus probus puer sit! (*id est, Mārcus nōn est proximus bonitātī sive probitātī, sed procul abest ā bonitāte, ā probitāte...*).

Restat igitur **ut** Iūlius irātus verberet ac7 pūniat8 Mārcum, improbum puerum.

Interrogativa **indirecta**.

Si in sententiā principālī verbum est quod significat **interrogāre**, **scīre**, **dubitāre**, tunc sententia secundāria, obiectum eiusmodi verbī, est substantīva interrogātīva indirecta:

Aemilia Quīntum **interrogat** **quis** plōret (praesentī tempore) **quis** plōrāverit (praeteritō tempore) **quis** plōrātūrus sit (futūrō tempore)

Aemilia Quīntum **interrogāvit** **quis** plōrāret (eōdem tempore) **quis** plōrāvisset (anteriōre tempore) **quis** plōrātūrus esset (posteriōre tempore)

Aemilia Quīntum **interrogat** **quae** puella plōret (praesentī tempore) **quae** puella plōrāverit (praeteritō tempore) **quae** puella plōrātūra sit (futūrō tempore)

Aemilia Quīntum **interrogāvit** **quae** puella plōrāret (eōdem tempore) **quae** puella plōrāvisset (anteriōre tempore) **quae** puella plōrātūra esset (posteriōre tempore)

Aemilia Quīntum **interrogat** **ubi** puella plōret (praesentī tempore) **ubi** puella plōrāverit (praeteritō tempore) **ubi** puella plōrātūra sit (futūrō tempore)

Aemilia Quīntum **interrogāvit** **ubi** puella plōrāret (eōdem tempore) **ubi** puella plōrāvisset (anteriōre tempore) **ubi** puella plōrātūra esset (posteriōre tempore)

Aemilia Quīntum **interrogat** **cūr** puella plōret (praesentī tempore) **quāre** puella plōrāverit (praeteritō tempore) **quamobrem** puella plōrātūra sit (futūrō tempore)

Aemilia Quīntum **interrogāvit** **cūr** puella plōrāret (eōdem tempore) **quāre** puella plōrāvisset (anteriōre tempore) **quā dē causā** puella plōrātūra esset (posteriōre tempore)

Quīntus Iūliam **interrogat** **num** Mārcus eam pulset (praesentī tempore) / **pulsāverit** (praeteritō tempore).

Quīntus Iūliam **interrogat** Mārcus**ne** eam pulset (praesentī tempore) / **pulsāverit** (praeteritō tempore).

Quīntus Iūliam **interrogat** **an** Mārcus eam pulset (praesentī tempore) / **pulsāverit** (praeteritō tempore).

Quīntus Iūliam **interrogat** **an** Mārcus **nōn** eam pulset (praesentī tempore) / **pulsāverit** (praeteritō tempore).

Iūlius interrogat **utrum** Quīntus Iūliam pulset (praesentī tempore) / **pulsāverit** (praeteritō tempore)
an Mārcus.

=

Iūlius interrogat Quīntus**ne** Iūliam pulset (praesentī tempore) / **pulsāverit** (praeteritō tempore)
an Mārcus.

Iūlius interrogat Mārcus**ne** Iūliam pulset (praesentī tempore) / **pulsāverit** (praeteritō tempore)
necne. =

Iūlius interrogat **utrum** Mārcus Iūliam pulset (praesentī tempore) / **pulsāverit** (praeteritō tempore)

necne.

C) SENTENTIAE ADVERBIALES

I. CAUSAE:



Mēdus Lydiam amat. Ea autem Rōmae habitat.

- **Cūr** (= **quāre** = **quā dē causā** = **quam ob rem**) Mēdus Rōmam it?

- *explicā, quaeso, mihi causam!*

Mēdus Rōmam it **quia** (= **quod** = **quoniam** = **quando** = **propterea quod**) Lydia Rōmae habitat.

Idem dicere possumus particulā quae est **cum** et verbō modō **subiunctīvō** :

Cum Lydia Rōmae habitet, Mēdus Rōmam it.

En alia exempla:

Cum Iūlia laeta sit, Aemilia gaudet. (=Aemilia gaudet **quod/quia/quoniam**... Iūlia laeta est).

Cum Iūlia plōret, Syra eam interrogat cūr tristis sit. (=Syra interrogat Iūliam cūr tristis sit, **quod/quia/quoniam**... Iūlia plōrat).

Etiam ablativō absolūtō similia dicere possumus, et causam –ac tempus!- expōnere quā id fit quod ēnuntiātur in sententiā principālī:

Lydiā Rōmae **habitante**, Mēdus Romam it.

Eae omnēs propōitiōnēs sublineātae, quās suprà exposuī, subordinātae sunt adverbiales causālēs, quās grammaticī appellant.

Sī verbum ēnuntiātī secundārii est modō subiunctīvō exprimitur causa nōn eius quī loquitur sed eius dē quō sermo est:

Exemplum:

Quīntus Aemiliae haec verba dīcit:

Mārcus, –ait Quīntus- , Iūliam pulsat **quod male cantet**.

Exercitia. Exprime causam eīsdem viīs (= eīsdem particulīs ac modīs) quās suprà vīdimus.

- Iūlia cantat. Mārcus sentit (*crēdit, putat, opīnātur, arbitrātur, existimat, iudicat*...) Iūliam male cantāre. Mārcus, improbus puer, pulsat Iūliam...!

Cūr (= **quāre** = **quā dē causā** = **quam ob rem**) Mārcus pulsat Iūliam?

- Iūlius crēdit centum nummōs esse in sacculō suō. is autem pecūniam numerat. in sacculō eius nōn sunt centum sed decem tantum nummī!

Cūr (= **quāre** = **quā dē causā** = **quam ob rem**) Iūlius īrātus est?

- Mārcus et Quīntus: *Iūlia* -inquiunt (= *aiunt* = *dīcunt*)- *foedum nāsum habet! haha!!*

Mārcus et Quīntus rīdent Iūliam. puella eōs audit et lacrimat.

Cūr (= **quāre** = **quā dē causā** = **quam ob rem**) Iūlia plōrat?

II. SEQVELAE SIVE CONSEQUENTIAE:

Ēnuntiāta consecūtīva sequēlam sive consequentiam indicant.

In sententiā principālī sunt vocābula quae consequentiam postulant:

ita, **adeō**, **tam**, **sic**, **is**, **tālis**, **tantus**, **eiusmodī**, **usque eō** ...

In sententiā subordinātā particula quae indicat consequentiam est **ut**

cuius negātiō est **ut nōn** vel etiam **quīn** sī in ēnuntiātō principālī est **prōnōmen** vel **adiectīvum negātīvum** atque **indēfīnītum**.

Modus verbī subordinātī est **subiunctīvus** (sive *coniunctīvus*).



Mārcus nōn audet ascendere in altissimam arborem...

Arbor enim **tam** alta est **ut** Mārcus **nōn** audeat ascendere eam.

Mārcus autem, cum nōn audeat arborem ascendere, **ita** est improbus **ut** iubeat

Quīntum eam arborem altissimam ascendere!

sic enim est improbus Mārcus **ut nōn** dubitet imperāre fratrī negotium periculosissimum.

Quīntus vērō, quī puer audax sit, nōn timet in eam altam arborem ascendere.

Quīntus enim **adeō** est audax **ut nōn** timeat ascendere arborem. Etenim Quīntus **usque eō** audaciae, immo temeritātis, pervenit **ut** altissimam arborem ascendat intrepidus.

Quam audax est puer!

Quīntus enim **is** est **ut** amīcī eum laudent propter eius fortitudinem audaciamque!

eiusmodī est fortis puer **ut** Mārcus, frāter eius, quī nātū sit māior,

nōn dubitet auxilium ab eō petere. **nēmo** enim est in scholā, **nūllus** in oppidō puer

quīn laudet audāciam Quīntī.

Ascendente arborem Quīntō, Mārcus iam timēre incipit nē cadat frāter. Mārcus enim, etsī improbus sit, frātrem suum amat ac timet nē ille cadat dē arbore. Mārcus igitur *facere nōn potest* **quīn** timeat!

“Cavē, frāter, - inquit Mārcus- nē in altissimōs rāmōs perveniās. **adeō** enim tenuēs sunt **ut nōn** possint tē sustinēre. istī enim rāmī **nōn** sunt **tam** robustī **ut** pondus tuum sustinēre possint!”

Quīntus vērō, quī nōn minus temerārius est quam audax, “nōn **adeō** tenuēs, - ait ille-, sunt rāmī nec **tam** crassus ego **ut** mē sustinēre **nōn** possint, Mārce. nōn **tantus** sum puer **ut** rāmum hunc frangere possim. adde quod rāmī flexilēs sunt. quamobrem nōn **tālēs** sunt rāmī **ut** facilē frangantur. **nūllus** enim est rāmus **quīn** mē sustinēre possit.”

Hoc dīctō, repentē crepitus audītur!



Rāmō enim fractō, miser puer dē altā arbore cadit in terram.

Exercitia:

1. Lectō hōc textū, scrībe sententiās consecūtīvās:

Lydia est pulchra ac proba fēmina, quae Rōmae habitat. Mēdus amat eam! is enim nōn timet pecūniam dominī abripere et Rōmam petere. Mēdus dēniquē vult līber esse et cum Lydiā in Graeciam īre!

N.B.

abripere aliquid est capere aliquid aliūs hominis furtīvō modō...

dēniquē est postrēmō sive ultimō tempore = in fine...

Exemplum: Lydia est **adeo** pulchra ac proba femina **ut** Medus amet eam!

2. Exprime aliīs verbīs hās sententiās consecūtīvās:

Rosae sunt **tam** pulchrae **ut** Iūliam dēlectent.

Nūlla est rosa **tam** foeda **quā** Iūliam dēlectet.

Saccī sunt **tam** gravēs **ut** servī facilē ambulāre **nōn** possint.

III. FĪNIS:

Ēnuntiāta fīnālia **scilicet**¹⁰ **finem** indicant.

In sententiā subordinātā particula quae indicat finem est **ut**, cuius negātiō est **nē**.

Sī in sententiā subordinātā est **comparātivum**, particula fīnālis esse potest **quō**.

Modus verbī subordinātī est **subiunctīvus** (sive *coniunctīvus*).



1. Mēdus Rōmam it **ut** amīcam suam Lydiam **vīdeat**...

Mēdus enim eō propositō, eā mētā, eō fīne Rōmam it: amīcam suam Lydiam vidēre.



2. Mēdus ē vīllā fugit, **nē** dominum Iūlium īrātissimum vīdeat...

Etenim Mēdus eō propositō, eā mētā, eō fīne ē vīllā fugit, **quoniam/quia/quod/quando** vidēre nōn vult dominum Iūlium īrātissimum.

3. Mēdus pecūniam sūmit **quō** **facilius** in Graeciam īre possit cum Lydiā.

Mēdus pecūniam sūmit **ut** *facilius* in Graeciam īre possit cum Lydiā.



hoc est:

Mēdus enim eō propositō, eā mētā, eō fine pecūniam sūmit: in Graeciam īre cum Lydiā.

Fīnis quoque Latīnē exprimī potest aliīs modīs, aliīs viīs, inter aliās:

I. Prōnōmine relātīvō et verbō subiunctīvō:

Mēdus Rōmam it, quī amīcam suam Lydiam vīdeat.

=

Mēdus, quī amīcam suam Lydiam vīdeat, Rōmam it.

hoc est:

Mēdus, ut amīcam suam Lydiam vīdeat, Rōmam it.

Aliud exemplum:

Iūlia in hortum venit quae rosās carpat.

=

Iūlia in hortum venit ut rosās carpat.

Exercitia:

Scrībe similem sententiam finālem prōnomine relātīvō verbōque subiunctīvō:

Iūlius servum Tuscūlum īre iubet ut medicum arcessat.

=

Mēdus pecūniam dominī sūmit ut cum Lydia in Graeciam eat.

=

Albīnus ornāmenta virīs ostendit ut ea fēminīs suīs emant.

=

Ancillae in atrium veniunt ut videant puerōs

=

Hōc denique modō **fīnis** Latīnē exprimī potest:

Iūlius, quod fessus est, in cubiculum suum it **hōc propositō: dormīre**.

1. Iūlius, quia fessus est, in cubiculum suum it **ut dormiat**.

:

2. Iūlius **quī dormiat** in cubiculum suum it. fessus enim est.

Nunc dēnique, usurpātō **participiō praeteritō neutrō, casū accusātivo**, -[quem modum *supīnum* appellant]- finem indicāre possumus Latīnē, cum verba temporālia indicant **mōtum**:

- Iūlius, quia fessus est, in cubiculum suum **it** ut dormiat = **dormītum**.

Exercitia:

Datīs sentiētiīs, exprimē finem similem in modum suprā illustrātum:

1. **Iūlia in peristylum it hōc propositō: cantāre!**

N.B.: [canto, cantāre, cantāvīsse, cantātus-a-um]

2. **Mēdus pecūniam Albīnō dat hōc fīne: emere ānulum!**

N.B.: [emo, emere, ēmisse, emptus-a-um]

3. **Puerī in hortum currunt hāc mētā: lūdere!**

N.B.: [lūdo, lūdere, lūsisse, lūsus-a-um]

IV. TEMPORIS:

Tempore quō pluit, aqua dē caelō cadit =

Cum pluit, aqua dē caelō cadit =

Ubi pluit, aqua dē caelō cadit =

Ut pluit, aqua dē caelō cadit.

Ut Iūlia cantat, Mārcus īrascitur, id est, **tempore quō** Iūlia cantat, Mārcus īrascitur =

Ubi Iūlia cantat, Mārcus īrascitur ...

Cum Iūlia cantat, Mārcus īrascitur ...

Ante quam Iūlia cantat, Mārcus quiētus ac tranquillus est...

Prius quam Iūlia cantat, Mārcus quiētus ac tranquillus est...

Prius enim quietus ac tranquillus est Mārcus, **quam** Iūlia cantāre incipit.

Prīmō autem momentō temporis quō Iūlia cantāre incipit, Mārcus īrascitur =

Ut primum (=ubi primum, cum primum, simul ac, simul atque, statim ac) Iūlia cantāre incipit, Mārcus īrascitur.

Postquam Mārcus Iūliam pulsāvit, misera puella cantāre dēsiit (=iam nōn cantāvit) =

Posteaquam Mārcus Iūliam pulsāvit, misera puella cantāre dēsiit=

Postea vērō **quam** Mārcus Iūliam pulsāvit, misera puella cantāre dēsiit.

Eōdem vērō **tempore quō** Iūlia cantat Mārcus sentit sē excrūciārī =
Dum Iūlia cantat, Mārcus sentit sē excrūciārī.

Eōdem **tempore quō** sōl in caelō est, diēs est =
Dum sōl in caelō est, diēs est =
Donec sōl in caelō est, diēs est =
Quoad sōl in caelō est, diēs est.

Nox vērō est **usque ad tempus quō** sōl oritur sive surgit ex horīzonte =

Nox est **dum** sōl surgit ex horīzonte =
Nox est **dum** sōl surgat ex horīzonte =
Nox est **donec** sōl surgit ex horīzonte =
Nox est **donec** sōl surgat ex horīzonte =
Nox est **quoad** sōl surgit ex horīzonte =
Nox est **quoad** sōl surgat ex horīzonte .

V. CONCESSIONIS :



Concēdō *Lydiam*, **etiam sī** Rōmae habitat, nōn esse Rōmānam, sed Graecam...

Itaque...

Etiam sī Rōmae habitat, Lydia nōn Rōmāna, sed Graeca est.

Idem dīcere possumus aliīs particulīs:

Etsī Rōmae habitat, Lydia nōn Rōmāna, sed Graeca est.

Quamquam Rōmae habitat, Lydia nōn Rōmāna, sed Graeca est.

Tametsī Rōmae habitat, Lydia nōn Rōmāna, sed Graeca est.

Quamvis Rōmae habitat, Lydia nōn Rōmāna, sed Graeca est.

Licet Rōmae habitat, Lydia nōn Rōmāna, sed Graeca est.

Ut Rōmae habitat, Lydia **tamen** nōn Romana, sed Graeca est.

Cum Rōmae habitat, Lydia **tamen** nōn Romana, sed Graeca est.

Lydia, **quae** Rōmae habitat, Rōmāna **tamen** nōn est, sed Graeca.

Hāc concessiōne factā, dicere possumus sententiās illās esse **subordinātās adverbialēs concessivās**.

Exercitium:

Hāc ex sententiā aliās concessivās compōne:

Etiam sī Mārcus īrātus est, Iūlia tamen cantat...

VI. COMPARATIONIS ET MODI:

Multae prōvinciae sunt in imperiō Rōmānō, **ut** Hispania, Gallia, Britannia...

Ut, caelō serēnō, avēs cantant, **sīc** cantat Iūlia cum laeta est:

sīcut, caelō serēnō, avēs cantant, **ita** cantat Iūlia cum laeta est:

Iūlia, cum laeta est, cantat **velut** avēs cantant, caelō serēnō.

Quīntus dē arbore cadit **ut** cadit pōmum dē rāmō

= **quemadmodum** pōmum dē rāmō, sīc cadit Quīntus dē arbore.

Quō altius arborem ascendit Quīntus, **eō** periculōsius cadere potest.

Tam fortis et intrepidus est Quīntus, **quam** ignāvus est Mārcus.

Tālis est Iūlia, **quālis** esse vult māter.

Tānta est pecūnia Iūlii, **quantā** millēnī servī emī possunt!

Quot ovēs in campō **tot** cūrae pastōrī sunt!

VII. CONDITIONIS:

- **Sī** verbum propositiōnis, quae condiōnem exprimit, modo indicātivō est, indicat aliquid quod, sī accidit, altera rēs fiet.

Sī sōl in caelō est, diēs est.

Sī Iūlia laeta est, cantat.

- **Sī** verbum propositiōnis, quae condiōnem exprimit, tempore praesentī vel praeteritō perfectō est ac modō subiunctivō, indicat aliquid quod praesentī vel futūrō tempore accidere potest...

Mārcus: Ego vērō, -ait Mārcus- **sī** *velim*, rursus Iūliam verberāre *possim*.

Sī Iūlia plūrēs rosās *carpat*, ancillīs suis *det*.

Quīntus: **Sī** Iūliam, ait, attentius *audīveris*, Mārce, *laudāveris* eam propter suāvem eius vōcem.

Mārcus: **Sī** in arborem *ascenderis*, inquit, grātiam habēbo, **sī nōn** *ascenderis*, nīdōs nōn inveniēmus.

Mārcus: *nīsī in arborem ascenderis*, inquit, *grātiā nōn habēbo, sī nōn ascenderis*, nīdōs nōn inveniēmus.

- Sī verbum propositiōnis, quae condiōnem exprimit, tempore praeteritō imperfectō est ac modō subiunctīvō, indicat aliquid quod praesentī tempore accidere nōn potest...

Sī Mārcus puer prōbus *esset*, Iūliam nōn *pulsāret*.

[: Mārcus enim **puer probus hōc tempore praesentī nōn est**, itaque Iūliam pulsat!]

- Sī verbum propositiōnis, quae condiōnem exprimit, tempore praeteritō plus quam perfectō est ac modō subiunctīvō, indicat aliquid quod praesentī tempore accidere nōn potest...

Sī Mārcus puer prōbus *fuisset*, Iūliam nōn *pulsāvisset*.

[: Mārcus enim **puer probus illō tempore praeteritō nōn fuit**, itaque Iūliam pulsāvit!]

- Particula quae est *sīn* hoc significat: *sed sī...*, *sī autem...*, *sī vērō...*

Iūlius: -*Vōbis*, inquit Iūlius, *māla et pira dabo sī bonī eritis, sīn malī, nihil accipiētis*.

[: Iūlius: - *vōbis*, - ait -, *māla et pira dabo, sī...probī eritis, sed sī improbī eritis, nihil accipiētis!*]

- Sī verbum ēnuntiātī primāriī exspectātiōnem sive propōsitum indicat, particula significat: *sī, ut sperātur...*, *sī cāsū fortuitō...*, *sī forte...*

Mārcus Quīntusque ante ōstium villae exspectābant, *sī* Iūlius mox venīret.

[: Mārcus Quīntusque ante ōstium villae exspectābant, *sī, ut sperābant*, Iūlius mox venīret!]

- Hae particulae etiam significāre possunt: *hāc condiōne*, *sī...*

1. **Dum** / 2. **modo** / 3. **dummodo**

1. Mārcus: - *plōret puella ista*, - inquit puer improbus -, *dum sileat*.

[: Mārcus: - *plōret puella ista*, - inquit puer improbus -, *hāc condiōne, sī...silet!*]

2. Quīntus: - *irātus sit Mārcus*, ait, *dummodo nē audeat pulsāre Iūliam*.

[: Quīntus: - *irātus sit Mārcus*, ait, *hāc condiōne, sī nōn audet pulsāre Iūliam*.]

3. *Manet vīta hominī, modo animam dūcat*.

[: *Manet vīta hominī hāc condiōne, sī spīrat* (=sī spīritū animam dūcit = sī spīritū aerem dūcit = sī respīrat.)]

1. *silēre est tacēre*, nūllum iam sonum ēdere sive facere...

2. *postulāre est petere*, poscere, requirere. etiam est *petere* aliquid tanquam sibi iūre debitum. *Iūre* est nōmen substantīvum *iūs*, *iūris*, n., *cāsū* ablātīvō. *Iūs* est id quod iūstum existimātur et lēge scrībitur. *Lēgēs* sunt regulae, normae...

3. *poscere* est petere aliquid tamquam sibi iure debitum. *Iure* est nomen substantivum *iūs*, iuris, n., cāsū ablātīvō. *Iūs* est id quod iustum existimatur et lēge scribitur. *Lēgēs* sunt regulae, normae...
4. *flāgitāre* est flāgranter poscere, exigere, rogāre. *flāgranter* autem est *ardenter*, id est, maximō animī ardōre...
5. *valdē* irātus = irātissimus...
6. *ūsū venit* = ēvenīre solet, saepe, id est, multīs temporibus occurrit...
7. *ac* = atque = et...
8. *pūnīre* = castigāre poenā aliquā...
9. *ait* = *inquit* = (persōna aliqua *dīcit* in colloquiō)
10. *scīlicet* : ut ēvidens est, ut manifestum est, ut omnēs scīmus, ut nēmo ignōrat.